



LIBER PRIMUS  
DE  
SCRIPTURÆ SACROSANCTÆ  
STYLO AC LITERATURA,  
TRACTATUS I.  
DE INTEGRITATE ET PURITATE HEBRÆI  
V. TEST. CODICIS.  
PROOEMIUM.

**D**ulcius, addo &, purius ex ipso fonte bibuntur aqua. Fons omnis dulcedinis sanctæ, & aquæ viventis scaturigo, est *Hebræa* Veteris; & *Græca* Novi Testamenti veritas, in quarum utraque, (etsi quid utraque? Una enim & simplex verbi cælestis est veritas) *gustatur*, quia fons est, & *perspicitur*, quia lumen est, *quam suavis sit DŌMI-NUS, & quam beatus, qui sperat in illo*, Psal. XXXIV, 9. Ab hoc fonte quæcunque deducuntur versiones, rivuli sunt & canales, dulcedine & puritate fonti ipsi nequaquam æquiparandi. Non *dulcedine*; Sæpe enim suavissimam vocum, phrasiumque emphasin satis assequi, vel certe exprimere non possunt. Nec *puritate*: ab humana enim proficiscuntur opella, quæ errori perquam obnoxia, & vel minus bona Interpretis, vel minus fida interpretationis custos est. Dulcius igitur, imo dulcissime, purius, imo purissime ex Hebræo V. & Græco N. T. veritatis fonte, omnis doctrinæ, vitæ & consolationis hauritur bibiturque aqua.

Hunc a natura rerum, & ipsa veritate, imo summo JEHOVA monstratum ordinem, mirum, quam confundant veritatis hostes, Pontificii. Ut palliandis suis erroribus folia suppetant ficulnea, Versionem Latinam, quam Veterem & vulgatam vocant, pro augusto authenticæ autoritatis horto venditant: Et ut cum prætextu hoc fiat aliquo, ipsum fontem *Hebræi* in V. *Græcique* in N. T. Codicis, ut impure fluentem, ut insincere & turbide scaturientem, accusant. Perverso, uti dictum, ordine. Fontem dictum ipsi nobiscum fatentur, versionem illam

*Philologia Lib. I.*

rivulum esse (de rivuli impuritate jam nihil dicam) diffiteri non possunt; eccur igitur, malum! rivulum fonti, corruptelam integritati, ancillam Dominae præponere, & hanc præ illa venerari non erubescunt? *ἄνω ποταμῶν τῆ-τό γε*, inquit ille apud LUCIANUM. Agnosce Lector, & detestare (detestaberis sane, si legeris) audax GORDONI HUNTLEI, Jesuitæ Scoti, pronunciatum, quod in epit. *Controvers. tom. 1. Contr. 1. cap. 8.* his verbis effutit: *Non solum est ambiguus Hebraicus textus, sed in multis etiam locis depravatus, quæ tamen loca in nostra vulgata editione adhuc correcte & integre extant, quippe quæ facta est ante illam depravationem. Quare non recte faciunt illi, qui reiecto vulgato & sincero textu, confugiunt ad textum Judaicum jam depravatum.* Hæc ille satis tumide & immodeste. A qua immodestia BELLARMINUS vix latum unguem discedit, quando lib. 2. de verbo DEI cap. II. §. 2. *Negari*, inquit, *non potest, quin sint fontes Scripturarum anteponendi rivulis versionum, quando constat, fontes non esse turbatos: nunc autem fontes multis in locis turbidos fluere, jam ante ostendimus: & certe vix dubitari potest, quin sicut Latina Ecclesia constantior fuit in fide retinenda, quam Græca: ita etiam vigilantior fuerit in suis codicibus a corruptione defendendis.* Hæc Cardinalis.

Sane, quam constans Latina & Romana Ecclesia in fide retinenda fuerit, evidenter Romanæ Veteris Ecclesiæ, ejusdemque doctrinæ (quæ in Epistola ad Romanos a S. Paulo proponitur) collatio cum præsentis Roma ostendit, nec hujus loci vel instituti est, operosa narratione id pertexere: quam vigilans fuerit in

A

suis